

DES. ERASMUS ROTEROD.  
 IN ADHORTATIONE AD CHRISTI-  
 ANÆ PHILOSOPHIÆ STUDI-  
 UM, Tom. V. Opp.  
 fol. 117.



*N* ceteris Disciplinis omnibus, quas humana prodidit industria, nihil est tam abditū & reclusum, quod non per-vestigarit ingenii sagacitas; nihil tam difficile quod non expugnarit labor improbus. Qui sit autem, ut HANC VNAM PHILOSOPHIAM ( Christianam scil.) non his quibus par est animis amplectamur, quotquot ipso etiam cognomine Christi nomen profite-  
 mur? Platonici, Pythagorici, Academici, Stoici, Cynici, Peripatetici, Epicurei, sua quisq; sectæ dogmata, tum penitus habent cognita, tum memoriter tenent, pro his digladiantur illi, vel emoriturus citius, quam authoris sui patrocinium deserant. At cur non multo magis tales animos præstamus authori nostro & Principi Christo? Quis non vehementer fœdum censeat, Aristotelicam profitenti Philosophiam, nescire quid Vir ille senserit de causis fulminum, de prima materia, de infinito? Quæ nec cognita felicem, nec ignorata reddunt infelicem. Et nos tot modis initiati, tot sacramentis adacti Christo, non fœdum ac turpe putamus illius nescire dogmata, quæ certissimam omnibus præstent felicitatem? Si quid à Chaldeis aut Ægyptiis adfertur,  
 id